

875

CODICES

876

Addam unum alterumve Specimen:

*Si quem barbatum faceret sua barba beatum,
In toto circo non esset sanctior birco. —
Qui cupit inferre digitos in quodque foramen,
Fedos sepe refert. Nec enim decet omne probare. —
Qui tenet anguillam per caudam, non tenet illam. —
Dat Deus omne bonum, sed non per cornua taurum. &c.*

Compilatorem hunc Germanum fuisse, colligas e verfu.

Cum sit fedatum lac, tarde proferimus Kacz!

Librarius vero subscripsit: *Explicit materia bona videlicet materia focalium per manus Symonis et minio: Symone bay slyfs.*

VII. fol. 125. sine inscriptione sed e praevio Codicis indice *M. Job. Hufs Tractatus de Corpore Christi*. Et ita re ipsa extat *Opp. cit. T. I. p. 202.* hoc initio: *Inpugnantibus verba evangelij et ignorantibus circa sacramentum dominici corporis veritatem &c.* In *Cod.* tamen sub finem 16. lineis ulterius procurrit.

VIII. fol. 131. p. 2. Literae Universit. Oxoniensis pro *Job. Wicleffo* datae 1406. 5. Octobr. prout extant *Opp. Hufsi cit. T. II. p. 542.* Figmentum ad commendanda *Wicleffi Scripta*. Cum enim negent *Wicleffum* ab *Angliae* Praelatis pro Haeretico condemnatum, vel sola inspecta Conciliorum *Angliae* serie chronologica aperte *Wicleffo* convincuntur; apertius vero ab *Ant. de Wood L. I. Hist. et Antiquit. Univ. Oxon. p. 203.* agente de *Petro Anglico* sive *Payne*, qui cum *Academicus Oxon.* et *Wicliffianis* par-

tibus addictissimus esset, litteras modo dictas cum sociis ementitus, eadem sigillo, quod furtim erat adeptus, universitatis munivit. Vide, si lubet, totum illius locum, et defecatus in *Opp. Hufsi* Editoribus judicium desiderabis.

CCLII. VIII. F. 19

Codex membraneus lat. Sec. 475 XII. Folior. 181. 4. luculente scriptus et rubricis enotatus continet Sequentia: I. *Incipit Prologus Eusebii Hieronimi. Cum verbis Joviniani et Contradictionibus ipstus.* Libri II. sunt Doctoris nostri contra *Jovinianum*, qui extant Edit. *Vallar. T. II. Veronae. 1735. p. 237. f.* Utrique Libro in *Cod.* nostro praemissae sunt *Capitulationes XXXIX.* et XXXI. Initium Lib. I. *Pauci admodum dies sunt, quo Sancti ex urbe fratres &c.* N. 3. Editor. post verba: *ut virginitati detrahat*, subjungit *Codex: qui male abstineat ex omnibus, quae benedixit deus, quam περιουρη nec Mauriani, nec Vallarsius in suis Mss.*

in-

invenisse videntur. N. 11. *Editor.* sub finem Codex fol. 12. p. 2. legit *carnes varias* non *Farias*. N. 13. *Editor.* tota illa Sententia: *Ut nihil aliud esset &c.* usque ad alteram: *Nonnullae quippe sunt virgines carne &c.* abest a Codice fol. 16. p. 2. Lectio ceterum emendata et collatione haud indigna.

II. fol. 91. *Incipit Epistola Hieronimi Presbiteri ad Pammachium Apologetica contra Jovinianum.* Initium: *Christiani interdum pudoris est etiam apud amicos tacere &c.* Epistolam hanc instar Praefationis Codex noster praemittit alteri longiori *Apologeticae*, quae deinceps sequitur inscripta: *Incipit Liber Apologeticus ad Pammachium*, et infit: *Quod ad te bucusque non scripsi. causa fuit silentium tuum &c.* Inverso ordine habentur Edit. *suprac.* T. I. p. 209. Codicis lectio rursus proba. In II. *Epistolae* N. 1. habet: *Primam causam esse victoriam &c.* quod an recte improbet *Vallarsius*, expendant *Eruditi*.

III. fol. 105. p. 2. *Quindecim signa quindecim dierum ante diem iudicij inuenit hieronimus in annalibus hebreorum.* Eorum enumeratio. Fabula magno nomini subposita. Habentur haec Signa Iconicis etiam expressa in Opusculo xylographico vernaculo *der Entkrist* five *Antichristus*, cujus Editiones describuntur in *Idée Gen. d'une Collection compl. d'Estampes* p. 384. Aliam eorum Delineationem ligno incisam in fol.

indicavi *Einleit. in die Bücherk.* P. I. p. 91.

IV. fol. 107. p. 2. *Incipit sermo Aurelii augustini adversus quinque hereses id est. paganos. iudeos. manicheos. jabbellianos. et Arrianos.* Initium: *Debitor sum. fateor. non necessitate cogente &c.* Subpositus *Augustino*. Saepius recurrit.

V. fol. 127. p. 2. *Incipit epistola Sancti Hylarii Pictaviensis Episcopi. Ad Episcopos Catholicæ fidei.* Initium: *Constitutum mecum habebam fratres karissimi in tanto silentii tempore &c.* Jam indicata *Codd.* CCIII. et CCV. extat edit. *Maur. Paris.* 1693. col. 1149. f. titulo: *Liber de Synodis seu de Fide Orientalium.* Inscriptio ad Episcopos directa abest a praesenti Exemplo. Definitiones *Orientalium* ab *Hilarii* Expositionibus titulis miniatis distinguuntur. Finis: *in diem reuelationis reseruet opto fratres.* Sed adscripta illa Nota: *Homousion grecum est &c.* quam *Mauriani* merito repudiarunt. Lectio ceterum sat proba.

VI. fol. 161. p. 2. *Incipit sermo arrianorum. Ubi numeri propterea sunt locis singulis annotati &c.* ut *Opp. Augustini* edit. *Maur.* T. VIII. col. 621. Responso enim Sermoni vel Confessione huic subiecta *Augustini* est, quod *Codex* tacet. *Arrianorum* Articuli, qui incipiunt: *Dominus noster Iesus Christus Deus unigenitus &c.* in impressis XXXIV. sed in *Cod.* aliter divisi XXXVII. numerantur. *Augustini* Refutatio incipit: *Eorum precedenti Disputationi hac Dispu-*

Disputatione respondeo &c. estque saltem sub principium paullo mendosius descripta. Finit: *quod tandem isto fine concludimus.*

CCLIII. *X. H. 29.*
799 Codex chartaceus lat. boh.

Sec. XV. Folior. 316. 8. curren-
te calamo scriptus, et rubricis
notatus continet: I. Excerpta ex
diversis S. Hieronymi Operibus.

II. fol. 53. Manuale olim B.
Augustino tributum et in edit.
Maur. in *Append.* T. VI. col.
135. rejectum, *Bohemice* reddi-
tum hoc initio: *Pomiewadz mezy*
osydly bydlimy snadnie od slawy
nebeske odpadugemy &c. Versio
ejusmodi jam *Pragae* 1562. ty-
pis *Barth. Netoliczky* prodiit,
quam retractavit 1583. *ibid.* *Dan.*
Ad. Weleslawina. Ejus Exem-
plar recudi curavit nuper *Pragae*
1786. 8. vir literatissimus et ami-
ciff. *Faustin. Prochaska.*

III. fol. 69. Incipit liber *Beati*
Bernardi de templo spirituali
qualiter in nobis debeat edificari.
Initium: *Domus hec in qua habita-*
mus ex omni parte sui nobis rui-
nam minatur &c. Non est *Ber-*
nardus; editus tamen a *Mabillonio*
Vol. II. Paris. 1690. col. 335.
f. neque *Hugonis Victorini*, in-
ter cujus *Opera* edit. *Rotomag.*
1648. T. II. p. 171. f. Li-
brum III. de *Anima* constituit,
sed *Monachi* cujusdam *Cister-*
ciensis.

IV. fol. 105. p. 2. *Sermo ad*
Clerum. Initium: *Cogitante me*
quid liceret et expediret loqui in

medio ita docte multitudinis Cle-
ri. quidve talium audientium qua-
litati utile foret atque valens &c.
Totus est in perstringendis sa-
crorum Hominum vitiis, super-
bia, avaritia, luxu, simonia &c.
Est *Jacobi de Misa*, ut *Index*
docet.

V. fol. 124. Congeries Auto-
ritatum pro Eucharistia sub utra-
que specie sumenda, et alia de
Sacramentis.

VI. fol. 143. p. 2. *Pastorale*,
ut e calce transfero, *Beati Am-*
brosij re et nomine Episcopi. Inci-
pit: *Non iam ad subditum loquor*
vulgus quod iugiter monere con-
suevi &c. Initio hic truncatum
legitur integrum T. II. *Opp.*
Paris. 1690. inter rejecta in
Append. col. 358. f. Recurrit
alibi.

VII. fol. 150. p. 2. Varia *Au-*
gustini, Hieronymi et aliorum
Loca, multa e Scriptis suppositi-
tiis, alia truncata, nullo certo
materiarum ordine.

VIII. fol. 209. *Stimulus Amo-*
ris. Initium: *Liber iste qui stimu-*
lus amoris dicitur in dulcissimum
et pium dominum Iesum saluato-
rem nostrum &c. In III. Partes
divisus extat inter *Opera Bona-*
venturae edit. *Lugd.* 1668. T.
VII. p. 192. f. Ad calcem ta-
men nobis legitur: *Explicit Sti-*
mulus Amoris beati Augustini, et
hoc inducto: *bernardi.* Ita solen-
ne fuit Hominibus *Historiae lit.*
ignaris Scripta velut pileos in di-
versa transferre capita, et saepe
cruces figere *Nepotibus.*